

HEINRICVS GORICKEM COLONIENSIS PROFESSOR.



HEinricus ab ineunte etate strenuam operam literis nauauit. Vnde in sacris scripturis & philosophia Aristotelica magnam cognitionem acquisiuit. Erat autem ingenio clarus, sermone scholasticus, & disputando acerrimus. Hinc factum ut Coloniensis Gymnasi professor constitutus fuerit. Ibidem legendo, scribendo, & conferendo suo tempore clarissimus fuit habitus. Scripsit etiam non contemnendae lectionis opuscula, quibus nomen suum ad posteros cum gloria transmisit. E quibus extant conclusiones Sententiarum, de superstitionibus, de festorum celebratione, Summarium S. Thomae, & liber contra Hussitas. præterea variæ quæstiones & determinationes in omni genere disciplinarum. Floruit anno 1460. Trit.